

absolvendum, quam condemnandum, » ut dicitur *c. Ex litteris. de Probat.* Cui concordat *l. Arianus. ff. de Action. et probat.* ubi Summarium sic habet: « Promptiores esse debemus ad liberandum, quam ad obligandum. » Hinc est regula 11, juris in 6. « Cum partium jura sunt obscura, reo favendum est potius quam actori: » Nam universaliter cæteris paribus, « Favorabiliores rei potius, quam actores habentur: » etiamsi actor sit fœmina, ut proin illa regula, qua cum aliis Sanchez, lib. I. *de Matrim.* disp. 48, n. 4, illis verbis dat: « In dubio favendum est fœminis, quia simplicius res tractare solent, faciliusque a viris decipiuntur: » universaliter non procedat, et in specie non, quando cætera, uti diximus, sunt paria; tum quia allegati textus, et juris regula indistincte loquuntur, non distinguendo, an actor, vel reus sit fœmina an vir: « ubi autem jus non distinguit, nec nos distinguere debemus, » *l. de Pretio. ff. Publici in re act. et verba generaliter sunt intelligenda, c. Quia circa, 22. de Privileg.*; tum quia privatae doctorum regulæ, ac opiniones contra clara, et universalis juris principia attendi non debent. Accedit, quod fœminæ sæpe pejores esse soleant quam viri, juxta illud Scripturæ. *Melior est iniquitas viri, quam mulier bene faciens.*

50. *Fœminis quando in materia sponsalium deferendum sit juramentum.* — Quod si vero cætera non sint paria, sed reus v. g. sit vilis, infamis, de perjurio suspecta, aut alias non legalis persona; Actor autem persona legalis, et multum honesta, tunc huic potius quam reo suspecto deferendum est juramentum suppletorium, per jura, rationes, et doctores cit. lib. II, tit. XXIV, n. 197. et seqq. allegatos. Dummodo actor prius semiplene suam causam probaverit. Imo in causa sponsalium universaliter loquendo, quotiescumque actor suam intentionem semiplene probat, per unum testem v. g. omni exceptione majorem, reus vero nihil præstat, sed simpliciter negat, actori, et non reo (si sit legalis, et de perjurio non suspectus) deferendum est, etiamsi reus sit æque legalis ac honesta persona ac actor, per jura, rationes, et doctores cit. lib. II, tit. XXIV, n. 195. allegatos. Quibus accedit, quod actore saltem semiplene probante, et reo simpliciter negante, omnia jam non sint paria, sed major præsumptio stet pro actore quam reo, consequenter supra n. 49. allegati juris princi-

pia non procedant. E contra vero ratio et æquitas naturalis dicit, ut iudex illi magis faveat, pro quo major stat præsumptio. Et hoc maxime procedit, quando actor, seu actrix est fœmina: tunc enim locum habet regula Sanchezii supra n. 49, allegata, videlicet, quod, quando fœmina actrix semiplene probat, a reo sibi promissum esse matrimonium, reus vero nihil præstat, sed simpliciter negat, fœminæ potius credendum et favendum, consequenter eidem, et non reo simpliciter neganti deferendum esse juramentum; quia regulariter fœminæ simplicius rem tractare solent, faciliusque a viris decipiuntur.

51. Dicitur autem notanter: « si actor sit persona legalis: » quia, si talis non est, e contra vero talis existat reus, huic potius quam actori deferendum est juramentum; etsi actor semiplene probet, et reus simpliciter negat, uti n. 199. ad finem notavimus. Ratio est, quia personæ, quæ legalis non est, juramentum litis decisorium a iudice deferri non potest, per jura et rationes cit. lib. II, tit. XXIV, n. 180. allegatas.

52. Si contra hactenus dicta iudex alicui parti juramentum defert, pars altera excipere, protestari, et appellare potest; quod si non faciat, sed consentiat, vel ipsamet, prout potest, juramentum parti alteri defert, causam perdit, si pars altera acceptat, atque juramentum præstat, per dicta loc. cit. § 5. et duobus seqq., ubi copiose de juramento litis decisorio.

§ III.

DE SIGNIS, PER QUÆ SPONSALIA CONTRAHI POSSUNT, ET SOLENT; CONTRACTAQUE IN FORO EXTERNO PRÆSUMI DEBEANT.

53. *Sponsalia etiam signis contrahi possunt.* — Non tantum per verba, sed etiam per signa consensum internum exprimentia, contrahi posse sponsalia, concors hodie est doctorum sententia: arg. *c. Cum apud. 21. h. t.* ubi habetur etiam mutum contrahere posse sponsalia, ratio subjungitur: « Cum quod verbis non potest, signis valeat declarare. » concordat *c. Tuæ eod. et c. un. de Desponsat. impub.* in 6. Hinc tantum controversia est, quibus signis contrahantur.

54. *In foro interno spectatur intentio edentis signum.* — Quæritur I. Per quæ signa contrahi possint, et contracta censeantur spon-

salia? Ante responsionem notandum, hic iterum distinguendum esse inter forum internum, et externum. Et quidem pro interno attenditur intentio edentis signum externum, ita ut per quodvis signum contrahi possint, et in foro interno contracta censeantur sponsalia, si tali signo consensum internum contrahendi indicare intendit edens illud, etsi alias talis consensus expressivum non sit, nec pro tali in foro externo habeatur. Et e contra nulla erunt in foro interno sponsalia, etsi edatur signum, communi æstimatione expressivum consensus interni, si edens illud, eodem contrahere, contrahendique consensum indicare non intendebat, ut proin circa forum internum observanda sint illa, quæ de verbis diximus § præced. n. 27. ubi vide H. N.

55. *Quæ signa in genere in foro externo indicent sponsalia.* — Resp. II. Universaliter loquendo pro foro externo, illis signis censeantur, ac præsumuntur contracta esse sponsalia, per quæ concurrentibus circumstantiis, juxta communem intelligentiam, usumque, ac consuetudinem loci, voluntas seu consensus contrahendi exprimi, et manifestari solet. Est communis doctorum. Et ratio est, quia sicut verba, ita et signa, juxta communem usum, locique consuetudinem interpretari debemus in foro externo, nisi aliunde de mente constet. arg. *L. Labeo. ff. de Supell. legat. etc. Ex litteris. il. 1. h. t.* juncta *l. Semper in stipulationibus. 34. ff. de Reg. jur.* ibi: « In stipulationibus, et cæteris contractibus, etc., id sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur. » Quænam autem sint talia signa, quamvis una regula pro quovis loco assignari non possit, cum, quod in uno loco pro tali signo habeatur, in alio pro tali non reputetur, uti bene advertit Gobath, tract. X, casu 2, n. 72. Tamen dantur quædam signa, quæ concurrentibus certis circumstantiis, pro expressivis consensus contrahendi fere communiter et ubique reputantur. v. g. Immissio et acceptatio annuli in digitum, donatio et acceptio munerum, porrectio manuum, taciturnitas præsentis prolis, dum loco ejusdem parentes sponsalia contrahunt. De quibus singulis regula ponemus quæsitam. Hinc:

56. *Annuli traditio ex se non est sufficiens signum sponsalium.* — Quæritur II. An, et quando immissio et acceptatio annuli in digitum (quam subarrhationem vocant) in foro externo judicanda sit pro sufficienti signo

expressivo consensus contrahendi sponsalia? Resp. I. Immissio et acceptatio annuli in digitum seu subarrhatio ex se loquendo est signum æquivocum, adeo ut si tractatus de sponsalibus non præcesserit, vel speciale quid habeat consuetudo loci, ex ea sponsalia non præsumantur. Sanchez, lib. I, *de Matrim.*, disp. 22. n. 1; Mascardus, *de Probat.* concl. 1024. n. 2. et seqq.; Menochius, lib. III. *de Præsumpt.* 2. n. 1. et seqq.; Abbas, in *c. fin. de Desponsat. impub.* n. 7. cum communi aliorum. Ratio est, quia talis donatio annuli etiam ob alias causas fieri potest, et solet, arg. *c. Illud. 11. de Præsumpt.* v. g. ob turpem, vel etiam castum amorem; aut in signum memoriæ, mutui affectus, aut sub spe futuri matrimonii; ergo. Confirmatur experientia, qua constat, sæpissime ob alios, quam sponsaliorum finem fieri hujusmodi donationem, et acceptationem annuli: ergo. Accedit tribunalium praxis, quæ ex sola hujusmodi donatione de sponsalibus non præsumit, nec judicat, nisi aliud accedat: ergo.

57. *Bene vero, si præcessit tractatus de futuro matrimonio, aut verbum unius.* — Resp. II. Quando de sponsalibus præcessit tractatus vel verbum unius, tunc (nisi aliud exprimat) immissio, seu donatio et receptio annuli, habetur pro consensu alterius, præsumunturque in Foro externo sponsalia, Glossa, in *c. Si inter. 31. h. t. 7. Dicente*; Sanchez, loc. cit. n. 3; Mascardus, loc. cit.; Menochius, loc. cit. n. 4; Abbas, loc. cit. n. 8; Sporer, part. IV, cap. 1, sect. 2, n. 189. cum communi aliorum. Ratio est, quia præcedente tractatu, aut verbo unius de futuro matrimonio, et traditio, et acceptio annuli juxta communem æstimationem hominum habetur pro signo consensus; atqui in foro externo verba et signa accipiuntur, et intelliguntur juxta communem usum et æstimationem, arg. *l. Semper in stipulation. 33. ff. de Reg. jur.* cum concordantiis; ergo.

58. Hinc, si quis præcedente matrimonii promissione alteri parti facta, eidem dat, aut porrigit anulum, et hæc sine contradictione accepta, præsumitur repromittere, et facere sponsalia, etsi nihil dicat. Idem dic in casu, quo etiam absque præcedenti tractatu, aut promissione unius, concomitanter, dum fit annuli porrectio, simul fit promissio aut mentio unius, his, vel æquivalentibus verbis: *Do tibi anulum ad matri-*

monum futurum. (Ich gib dir den Reing auf die Ehe): vel ut plebs communis apud Germanos dicit: Ich gib dir den Ring dro, seu daran, præsumuntur sponsalia, si pars altera sine contradictione acceptat, etsi nihil dicat; quia juxta communem æstimationem tali signo consensisse, et repromississe censetur, quod sufficit; quia verba non necessario requiruntur, præsertim in fœminis, utpote quæ ex verecundia nutu potius et signis, quam verbis consentire etiam solent, uti bene advertit Glossa, loc. cit.

59. *Munerum traditio eodem modo, quo annuli traditio habetur pro consensu sponsalium.* — Idem quod de annuli traditione et acceptatione dictum est, etiam de aliis muneribus, fasciis, jocalibus sponsorum more mitti et donari solitis intellige, præsertim si in his partibus donatores illud exprimunt: (v. g. Ich gib dir diss auf die Ehe: vel Ich gib diss dro, seu daran, etc.). Sanchez, loc. cit. n. 5. Sporer, loc. cit. Gobath, ubi supra n. 69. et alii apud Sanchez. Ratio eadem est, quia nempe non solum annuli, sed etiam aliorum munerum (præcedente et concomitante ex parte unius promissione matrimonii) donatio et receptio pro sponsalium consensu communiter habentur, præsertim, si præfata exprimantur verba, teste experientia et tribunalium ecclesiasticorum praxi: atqui « ubi eadem est ratio, eadem est legis dispositio, » per vulgaria. Annuli tamen receptio manifestius censetur esse signum, quam aliorum munerum.

60. *Idem dic de manuum porrectione.* — Queritur III. An, et quando manuum porrectio sit signum sponsalium. Resp. de hac eodem modo esse discurrendum, sicut de traditione et acceptatione annuli, videlicet, quod, quia manuum porrectio ex variis motivis fieri potest, et solet, ut cuius constat, ea ex se non sit sufficiens signum præsumendi sponsalia; bene vero si præcedente tractatu de sponsalibus, aut precedente et concomitante promissione matrimonii unum porrigit manuum alteri parti, et hæc non recusat, nec manum retrahit, sed porrectam accipit, consentire et repromittere in foro externo recte præsumitur, Sanchez, loc. cit.; Engel, h. t. § 2, n. 8; Sporer, loc. cit. n. 188; Gobath, tract. X, casu 2, 66, cum communi aliorum, per rationes et jura supra n. 57. allegata: quibus accedit, quod juxta reg. 43. de Reg. jur. in 6. « Tacens consentire videatur, » etiam quando est in

sui præjudicium et obligationem, si accedat actus positivus consensum significans, uti tradit Abbas, in c. *Cur, virum. De Regular.* n. 3. arg. cit. cap. *Cum virum.* 12. eod.

Et hæc conclusio tunc maxime procedit, omnique controversia caret, quando, dum vir v. g. manum porrigit, sequentia, vel similia verba dicat: « Hic habes manum meam; » vel: *Do tibi manum, quod velim te habere pro uxore futura, vel, Te ducere, etc.* (Da hast mein Hand: vel, da gib ich dir die Hand darauf, dass ich dich will heurathen, vel nehmen: vel, dass du mein künftiges Weib sollst seyn, etc.) Sporer, et Gobath, loc. cit.

61. *Taciturnitas liberorum est signum consensus, si pro eis præsentibus contrahunt parentes.* — Queritur IV. An, et quando taciturnitas liberorum indicet consensum sponsalium; dum loco eorum sponsalia contrahunt parentes. Resp. I. Quando parentes loco liberorum præsentium contrahunt sponsalia, et liberi tacent, valida sunt sponsalia. Omnes, textu expresso c. un. de *Desponsat. impub.* in 6. ibi: « Porro ex sponsalibus, quæ parentes pro filiis puberibus, seu impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint, vel tacite, ut si præsentibus fuerint, non contradixerint, obligantur, et ex eis oritur justitia publicæ honestatis. »

62. *Non item, si alii pro eis spondent.* — Resp. II. Præmissa juris constitutio est specialis in parentibus contrahentibus pro liberis, nec extenditur ad alios. Hinc si frater pro sorore, tutor pro pupillo, aut alius extraneus pro quopiam præsentem sponsalia contrahere nititur, non sufficit sola præsentia et taciturnitas hujusmodi, sed requiritur aliud signum, quo consensum internum sufficienter exprimat. Sanchez, lib. I. de *Matrim.*, disp. 23. n. 7; Pirhing, h. t. n. 16; Barbosa, in cit. c. un. de *Desponsat. impub.* num. fin. et ibi Joan. Andreas, in fin.; Ancharanus, n. 3; Sylvester, verb. *Sponsalia.* q. 2, dicto. 5, et alii arg. I. *Si puelle.* ff. de *Sponsalib.* ubi dicitur, non posse tutores sponsalia contrahere, « nisi ex voluntate puellæ. » Ratio est, tum quia c. un. de *Desponsat. impub.* expresse loquitur de solis parentibus; ergo ad alios extendi non debet; præsertim cum juris regula 43 de *Reg. jur.* in 6: « Qui tacet, consentire videtur, » non procedat, quando agitur de præjudicio vel obligatione tacentis, juxta dicta supra n. 43;

tum quia, cum parentes tam ex officio, quam naturali affectu liberis optima velle, nec in ipsorum præjudicium vel incommodum, sed potius in utilitatem eorumdem agere debeant, et præsumantur I. *Nec in ea.* 22. § fin. ff. ad *Leg. Jul. de Adult.* ibi: « Plerumque pietas paterni nominis consilium pro libero capit; » liberi autem saltem ex honestate in tali casu vel consentire, vel illico contradicere teneantur, arg. can. *Honorantur.* 13. caus. 32. q. 2. merito jura præsumunt, liberos præsentibus et tacentes consentire, si eorum nomine parentes contrahunt: quæ ratio cum aperte cesset in tutoribus ac aliis, utpote liberos non suos nec a longe ita amantibus, ad eos juris dispositio extendi non debet.

63. *Nomine parentis hic etiam mater venit.* — Caterum nomine parentum non tantum pater, sed etiam mater venit, ut hæc quoque loco prolis præsentis et tacentis valide contrahat sponsalia. Sanchez, loc. cit. n. 9; Pirhing, loc. cit. n. 16. et alii communiter. Ratio est, quia nomine parentum etiam matres veniunt. Barbosa, de *Appell.*, verb. *Juris.* §. *Parentes.* cum communi arg. l. 4. § *Parentes.* 2. ff. de *In jus vocando.* ibi: « Parentem hic utriusque sexus accipe. » et I. *Jurisconsultus.* § *Parentes.* ff. de *Gradib.*; tum quia decisio textus c. un. de *Desponsat. impub.* non innititur patriæ potestati, sed parentum amoris juxta dicta num. præced. atqui amor iste plerumque in matre ardentior est, quam in patre: ergo.

64. *Taciturnitas non est signum consensus in sponsalia a parentibus in absentia liberorum contracta.* — Resp. III. Quando parentes contrahunt sponsalia pro liberis absentibus, regulariter non sufficit sola eorum taciturnitas, postquam aliunde resciant factum parentum, sed requiritur insuper aliud signum sufficiens, quod liberi factum parentum postea rescientes tacite, vel expresse consentiant, et ratificent sponsalia a parentibus suo nomine contracta. Guttier., cap. xiii. n. 11; Sanchez, loc. cit. n. 17; Joan. Andreas, in cit. c. un. de *Desponsat. impub.* in 6. et ibidem Ancharanus, n. 2. ac plures alii cum Glossa marginali. Probatum conclusio, ex cit. c. un. de *Despons. impub.* in 6. ubi manifesta ponitur differentia inter sponsalia per parentes pro liberis præsentibus, et inter sponsalia pro eisdem absentibus contracta, et statuitur, quod hæc ultima tunc tantum valeant: « Si filii tempore sponsalium ab-

sentes, et etiam ignorantes, postea scientes ratificaverint tacite vel expresse: alias ex sponsalibus contractis a parentibus pro filiis, nec ipsi filii obligantur, nec publicæ honestatis justitia inde resurgit, » prout habent verba cit. c. un. § fin. Ex quibus aperte patet, non sufficere ad præfata sponsalia, quod resciat et taceat, sed quod præsens sponsalia tacite vel expresse ratificet proles.

65. *Nisi etiam tunc taceant, si ipsimet parentes facta pro illis sponsalia eisdem notificant: secus est, si alii notificant.* — Notandum tamen, quod, si ipsi parentes liberos sponsalia pro ipsis contracta postea teneant, aut per epistolam notificent, et liberi non contradicant, sed taceant, tacite consentire, sicque sponsalia tacite ratificare in foro externo præsumantur. Conink, de *Sacrament.* disp. 21, dub. 3, n. 29; Sporer, part. IV, cap. 1, sect. 2, n. 191. citans Tamburinum, et communem aliorum, Anchar. in cit. c. un. § fin. n. 3. et alii, arg. cit. cap. un. de *Desponsat. impub.* in 6. ubi ad ratificanda sponsalia a parentibus contracta sufficit, si liberi tacite consentiant: atqui hoc faciunt, vel facere censentur, si tacent, dum eisdem ipsimet parentes sponsalia pro ipsis contracta notificant: ergo. Min. probatur; quia licet alias taciturnitas non habeatur pro tacito consensu, nec tacens consentire videatur, dum agitur, de præjudicio, et obligatione tacentis, per dicta n. 43, tamen hoc fallit in casu, quo parentes pro liberis quid agunt, v. g. sponsalia contrahunt, tunc enim filii, si tacent, tacite consentire videntur arg. cit. c. un. § *Porro.* ibi: « vel tacite ut si non contradixerint: » idque ob rationem n. 62. positam.

Nec refert, quod ipsi contractui præsentibus non fuerint; quia non est major ratio, cur liberi contractui præsentibus, tacendo consentire videantur, et non, si contractus in eorum absentia factus, postea per ipsos parentes eisdem notificetur, et filii ad relationem taceant; cum æque in hoc ac priori casu liberi consentire, vel dissentium parentibus manifestare, saltem ex honestate deberent, et non manifestantes, sed tacentes tacite consentire censeantur facto parentum, utpote quos supponunt, quos ex innato erga liberos amore, et officio suo non nisi in commodum liberorum contraxerint. arg. I. *Nec in ea.* 22. § fin. ff. ad *Leg. Jul. de Adult.* prout supra n. 62. jam dictum. Hinc

notanter dicitur in conclusione, si aliunde, et non ab ipsis parentibus resciant; cum enim aliis factum parentum absque horum commissione narrantibus tantum reverentiam non debeant, nec manifestare teneantur, an consentiant, vel dissentiant, tacentes tacite consentire non præsumuntur, uti præsumuntur, si ad relationem ipsorum parentum tacent.

66. Porro si non tantum tacent, sed aliud etiam signum edunt, quo tacite, vel expresse consentire præsumuntur, valebunt sponsalia in eorum absentia a parentibus contracta, sive dein a parentibus, sive alio contractus eisdem, intimetur textu expresso cit. c. un. § Porro de Desponsat. impub. Ex quibus autem signis desumatur tacitus consensus, colliges ex dictis a n. 56.

§ IV.

DE DEFLORATIONE, COPULA, IMPRÆGNATIONE CUM VEL SINE PROMISSIONE, AUT SPE MATRIMONII FACTA, SIGNUM SPONSALIORUM PRÆBENTE AUT OBLIGATIONEM DUCENDI, VEL DOTANDI INDUCENTE.

67. Copula vel defloratio, nisi alia concurrant, non est signum sponsalitii consensus. — Quæritur I. An, et quando copula carnalis, defloratio, aut imprægnatio sine ulla etiam fiata promissione matrimonii, facta habeatur pro signo consensus sponsalitii, aut saltem obliget ad ducendum, vel dotandum? Resp. I. Copula carnalis, cum altero sexu absolute loquendo, et nisi alia concurrant, non præbet sufficiens signum sponsalitii consensus. Communis ac certa. Ratio patet, quia copula fieri potest et sæpissime, imo a potiori fieri solet ex sola libidine absque ullo animo matrimonium ineundi: ergo ex illa consensus seu mens sponsalitii præsumi non potest, nec debet, « per vulgaria juris principia de præsumptionibus. »

68. Bene vero, si alia saltem dubia signa, aut verba concurrunt. — Resp. II. Si una cum copula concurrunt verba, aut signa dubia sponsaliorum contractorum, tunc copula præsumitur, ac censetur facta animo sponsalitii, seu, illa cum cæteris dubiis signis præbet in foro externo signum sufficiens præsumendi sponsalia, consequenter reum absolute condemnandi ad nubendum. Sporer, part. IV, cap. 1, sect. 2, num. 186; Gobath, tract. X, casu 2, num. 6, num. 276;

Perez, disp. 12, sect. 4; Menoch. de Præsumpt., lib. I, Præsumpt. 1, arg. c., Is qui fidem, 30, h. t. ubi etiam matrimonium præsumitur: ergo multo magis sponsalia: et c. 2, et 6, de Condition. oppos. Ratio est, quia honesta puella non censetur præbere usum corporis, nisi suo sponso, ac sub spe futuri matrimonii, sub qua facile puella etiam cæteroquin honestæ persuadentur: ergo ubi de matrimonio tractatur, atque signa et copula concurrunt, de factis sponsalibus merito præsumi, ac judicari debet.

69. Nisi puella sit malæ famæ. — Dicitur autem notanter in foro externo; quia in foro interno ad simpliciter ducendum in tali casu non tenetur; si promissionem matrimonii revera non fecit, per dicta num. 27. Imo nec in foro externo tenebitur, si puella honesta non fuit, sed communis, et pluribus exposita, aut alias malæ vitæ, ac in hoc genere suspecta, aut diffamata per dicenda infra num. 79 et 80. Porro ad quid ratione copulæ sine ulla promissione matrimonii factæ tam in foro interno quam externo cogitur, patebit statim ex sequenti conclusione.

70. Sola copula absque fraude, metu, vel importunis precibus obtenta, nec ad ducendum, nec ad dotandum, nec ad aliud obligat. — Quæritur II. An, et ad quid obliget copula, defloratio, aut imprægnatio sine ulla spe aut matrimonii facta? Resp. I. Hic iterum distinguendum esse inter forum internum et externum. Et quidem loquendo de foro interno, si quis absque vi, vel fraude, vel metu injuste incusso, et absque promissione matrimonii, item absque precibus, et instantiis importunis cum libere consentiente conjugitur, eamque vel prius jam corruptam carnaliter cognoscit, vel ut virginem deflorat, ac etiam imprægnat, in foro conscientie eam nec ducere, nec dotare tenetur, Lessius, lib. II, cap. xx, dub. 1 et 2; Navarrus, in Manual., cap. xvi, num. 21; Barbosa, in c. 1, de Adult. et stup., num. 2; Pirhing, h. t. num. 49; Molina, tract. III, dist. 106, n. 10, cum communi. Ratio est, tum quia talis non tenetur ratione promissionis, utpote, ut supponitur, non factæ. Nec ratione injuriæ illatæ; cum injuriam consentienti non intulerit, nam « consenti et consentienti non fit injuria neque dolus, » c. Scienti, 27, de Reg. Jur., in 6; tum quia jura ratione deflorationis aut stupri, restitutionem aut satisfactionem imponentia loquuntur tantum

de seducuntibus, et decipientibus, ut videre est c. 1 et 2, de Adult. et stup. qualis non contingit in casu conclusionis: ergo. In foro externo tamen non censetur libere consensisse, sed præsumitur seducta, juxta dicenda infra, num. 83.

71. Qui dolo, vi, aut gravi metu injuste concusso virginem etiam absque spe matrimonii ad copulam inducit, eam ducere vel dotare tenetur. — Resp. II. Qui vi, dolo, vel fraude, aut gravi injusto metu virginem etiam absque spe matrimonii defloravit, in utroque tam interno nempe, quam externo foro tenetur eam vel ducere, vel dotare. Barbosa in c. 1, de Adult. et stup., n. 7, et seq., et ibi Anchoranus, Abbas, et canonisæ communiter; Lessius, loc. cit., num. 10; Navarrus, in Manual., cap. xvi, num. 17; Sylvester, vers. Luxuria, q. 5; Molina, tr. III, de Jure et justitia, cum communissima et certa aliorum, arg. cit. c. 1, de Adult. et stup., ibi: « Si seduxerit quis virginem, nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, et habebit uxorem, » per quod patet ad forum externum. De foro interno.

Ratio est, quia talis per injuriam damnum intulit puellæ, cum, uti supponitur, puella ob notam deflorationem æquales nuptias amplius acquirere non possit: ergo tenetur damnum resarcire, cum omnis injuste damnificans ad restitutionem, aut compensationem teneatur arg. c. fin. de Injur. et dam. dat. et l. un. C. de Sentent. quæ pro eo; consequenter cum damnum aliter resarciri non possit, quam ducendo, vel ita dotando, ut æque honestis nuptiis potiri possit, ac si deflorata non fuisset, ad alterutrum tenebitur.

72. Ad idem tenetur, qui importunis precibus, aut blanditiis copulam obtinet. — Resp. III. Etiam ille, qui absque vi, vel fraude, vel gravi metu injuste incusso, ac etiam absque promissione matrimonii virginem solis importunis precibus, blanditiis, muneribus, aut instantiis deflorat, tenetur saltem in externo foro eam ducere, vel dotare. Navarrus, in Manual. cap. xvi, num. 17; Gonzal., in c. 1, de Adult. et stup.; Gutierrez, lib. I, can. qq. q. 37, num. 13, citans communem; Vasquez, de Restit.; Pirhing, h. t. num. 50; Lessius, lib. II, cap. x, num. 4, et alii. Probatur manifeste ex cit. c. 1, de Adult. et stup., per textum nu. præced. allegatum, vi cujus omnis ille, ad ducendam vel

dotandam virginem obligatur, qui seducens virginem, dormierit cum ea, sed importunis precibus, blanditiis, muneribus, etc., inducens puellam ad consensum copulæ, vere eam seducere censetur. L. I, c. de Rap. virg., ibi: « nisi sollicitaverit; » ergo.

73. Etiam precibus importunis seducitur puella. — Confirmatur I. Verba legis et juris intelligenda atque accipienda sunt juxta communem intelligentiam, atque communem usum hominum, arg. c. Ex litteris., il. 1. h. t. et l. Labeo. ff. de Supell. legat., ibi: « Ex communi usu nomina exaudiri debent; » atqui secundum usum intelligentiam, et æstimationem communem seducere puellam non tantum ille dicitur, qui eam metu, fraude, vel dolo, sed etiam, qui eam importunis precibus, blanditiis, muneribus, etc., ad consensum inducit, cum etiam in hoc casu communiter, et vere dici soleat, seduxit bonam puellam (Er hat das gute Magd verführt), quam querelam, et commune dictum in simili casu semper audire est a parentibus, amicis ac aliis; imo ab ipsa puella in tali casu ordinarie objiciente (du hast mich verführt), ergo. Huc quadrat illud apud Terentium:

Etiam nunc me seducere dictis istis postulas?

74. Preces importunæ æquiparantur metui. — Confirmatur II. « Importunæ preces metui comparantur. » Gutierrez, loc. cit., l. I, juncta Glossa vers. Extorta. C. Ne filius pro patre, ubi extortum dicitur, quod suasionibus fit, juncta l. I, C. de Raptu virg., quod maxime procedit respectu fœminarum magis timidarum. Innocent., in c. Petitio in prin. de Jurejur., ubi propterea dicit, contractum ab uxore ob nimias preces mariti factum, rescindi posse, ac si esset metu celebratus: ergo.

Dices. Consentienti non fit injuria, neque dolus, c. Scienti, 27, de Reg. jur. in 6, ergo saltem tunc ad nihil tenebitur deflorator, si puella absque vi, metu, vel fraude solis precibus, aut instantiis etsi importunis inducta consentiat. Resp. negando consequentiam; quia ad contrahendam in foro externo obligationem ducendi, vel dotandi per dicta jura c. 1, de Adult. et stup. necessario non requiritur, quod puellæ fiat injuria per vim, dolum, injustumve metum; sed sufficit, « si seduxerit quis virginem, » quod etiam solis importunis precibus, aut instantiis fieri communiter censetur, prout dictum, et bene ob-